



regni meritorum praemia. Illuxit egregia spes restituendae aliquando libertatis in variis Ludouici XIV. cum Roma controuersis, a. 1662. 1679. 1687. Ast quid iuuat tot iam commemorare acta. Hodie oppressa est Gallia, gemitque sub iugo Italico. Impatentia autem hodierna Gallorum satis superque ostendit *nouitatem Papismi*. Si enim usurpationes sunt, unde ortae? Quodnam usurpandi fundamentum? Quo altius ascendimus, eo minor est potestas Romana, et tandem nulla. Si librum scriberem, omnia haec clarius deducere possem. Sed TEcum loquor, ecclesiae Romanae CARDINALIS EMINENTISSIME, cum viro purpurato, qui omnia ista me melius perspectiusque habet cognita. Quare litteras ad TE dans, sine multis verborum ambagibus pro rei veritate ecclesiae nostrae sententiam exponere volui, quam sentiunt ista pensitantes. Si quae dura scripta sunt, optarem mollius ea explicari potuisse: sed vt perspiceres internum religionis nostrae statum, sine furo me TEcum loqui oportuit. Finio hanc epistolam, satis contentus, me breuem probationem harum quatuor propositionum, 1) quod regimen monarchicum in religione schismata et dissidia excitet; 2) quod Roma semper dissensionum et turbarum mater fuerit; immo iniquissimarum potestatum usurpatrix iniquissima: 3) quod Euangelicum cum Roma plane se vnire non possint, et denique 4) quod nouitas Papismi iam manifesta sit, adhuc adducere, et ex praesenti motu Gallicano deducere potuisse. Sum vt in litteris.

